DISPVTATIONES DVÆ

Balthesaris Capræ.

VNA DE LOGICA, & eius partibus,

ALTERA DE ENTHYMEMATE.



Patauij, ex Officina Petri Pauli Tozzij. 1606.

☞ *Habita Maiorum Licentia.*

DISPVTATIONES DVÆ

Bakhelaris Capræ.

VNA DE LOGICA, & eius partibus.

ALTERA DE ENTHYMEMATE.



Patauij, ex Officina Petri Pauli Tozzij. 1606.

Habita Maiorum Licentia.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
FEDERICO
Borromæo
S. R. E. CARDINALI, ET
Mediolani Archiepiſcopo ampliſſimo. S.P.

DVm tyrocinia mea Aſtronomica iam typis cōmiſſa tarde admodum imprimūtur, en duas ſequentes diſputationes, quales quales ſint, Auguſtiſſimo tuo nomine ſacratas ſubnecto, vt vel per hoc ſaltem oſtē derem Matheſis ſtudium, hac absq; comparandæ rationis arte, nec poſſe recta ratione tradi, nec vllo modo conſiſtere, nam quid-

quid ſine hac conficitur, prorſus vt ſcopæ diſſolutæ, cohærere minimè poteſt, quidquid verò præclariſſimæ huius facultatis ornamentum ſentijt, tanquam concinnũ quoddam corpus vno oculis intuitu conſpici poteſt. Suſcipias ergo Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſimæ Antiſtes opuſculum hoc hilari ac ſerena fronte, quod ſi illa qua rebus etiã minimis magnum pondus affert, clementia & humanitate (vti ſpero) complectetur, non vereor, ne quemadmodum tu meum animum (cum in magnis ſaltem voluiſſe ſat ſit) ſic cęteri omnes munuſculum, eiusq; offerendi cauſam vehementer non approbaturi ſint D. O. M. te ad nominis ſui gloriam & Patriæ decus incolumem diutiſſimè conſeruare dignetur.

Datum Patauij die 4. Maij. M. DC. VI.

Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. tuæ

Seruus Balthaſar Capra.

DE LOGICA EIVSQ. PARTIBVS Diſputatio.

Balthesarls Capræ.

LOGICA (vt nomen indicat) ars eſt comparandæ rationis, ſcilicet ad cognitiouem afferendam, logos enim Græcis vt notum eſt rationem ſignificat, vnde logica ars rationis, & arithmetica ars numerorum ab arithmos, quod eſt numerus, grammatica ars grammatum, ideſt litterarum, &c. Eſt autem ratio id quod quippiam aliud noſcimus, vnde & notio dicitur: ac primnm ın mente dicitur mentis ſcilicet quædam affectio, quæ cum rei ſit imago naturaliter ipſam ſignificat menti aduertenti vt noſcat deinde in voce dicitur, quatenus voces imponuntur ex hominum voluntate ad mentis rationes repræſentandas. Tum in ſcriptis, & ijs quæ oculis, & alijs (ſi placet) ſenſibus percipiuntur, quatenus hæc omnia ad ea quæ mentis poſſunt teferuntur. In quibus omnibns quatenus rationes ſunt verſatur Logica, quemadmodum Metaphyſica verſatur primum in ſubſtantia, quod primum dicitur ens, deinde in accidente, quatenus ſcilicet aliquam entis rationem habet. Quocirca Logicæ finis erit facilitas noſcendi (imo docendi & diſcendi quiduis) & erit ſiue Logica, ſiue Dialectica appelletur ars ea (vtroq; enim nomine à Cicerone vocatur) facultas comparandæ rationis ad rem quamuis facilè cognoſcendam. Logicus ergo ſuo munere functus erit, qui raionem omnem comparauerit, quatenus licuerit, qua res facilè noſci poſ

ſit.

sit. Tum verò finem assecutus erit cum facile nouerit id scilicet quod docere susceperit, siue seipsum, siue alium doceat. Genus ergo ei subiectum & materia in qua versatur Logica ratio est idque quatenus ratio est. Quare tam late quam ratio huiusmodi pateat necesse est, & cum ea adequetur, ratio verò tam late quam mentis vires. Quamobrem tot logicæ partes erant quot mentis vires ad cognitionem pertinentes, quæ in alijs firmæ & eximiæ, in alijs verò inualidæ & exiguæ, quæ quo magis à natura vniuntur in perscrutanda rerum obscurarum cognitione eo magis confirmandæ sunt arte quadam, vt omnem difficulratem superent, & paria, imo verò certiora hæ præstent arte institutæ, quam illæ natura imbutæ. Quin etiam (vt testis est Aristoteles in principio mechanicarũ quæstionum) siquid difficultate sua hæsitationem præstat arte indiget. Quocirca cum nonnnlli simplicia animo informare non possint facile, vt nec Simonides, nec Hiero notionem simplicem Dei, nec D. Augustinus temporis, nec quamplurimi alij multorum aliorum apud Platonem, aduersum quos definitiones rerum inquirens disputat Socrates. Alij non intelligunt copulata, cum singula rerum nomina pernoscant. Alij quæ conueniant (idest antecedant, vel consequantur) & quæ repugnent non perspiciunt, etiam si singularibus asseuerationibus, quæ sententia subiecta sit probè sciant, quod vitium in Epicureis notauit Cicero, vt qui non quam verè, sed quam congruenter dicant inquirere se affirmat, vt sæpenumero in Stoicis vitia superiora, quod obscure res copularint, & simplices rerum notiones obscurissimas traderent, vt his rationibus motum se dixerit, ne vnquam libenter contra eos disputaret. Alij quamuis consequẽtia & repugnantia videant, tamen quid verum sit, quiduè falsum non vident, cuiusmodi Academici videri fuisse possunt, qui doctè ratiocinari solebant, sed assensione omni abstinebant. Alij quamuis iudicata omnia habeant tamen facili via, & ratione omnia complecti non possunt, cuiusmodi sunt ferè nostri temporis legulei.

C. 1. vbi de facultate artis mechanica.

Item quoniam rebus in promptu, & quæ facilè menti tractantis aliquid occurrunt non semper id quod volumus præstare licet, ideo quasi thesaurum quendam, vnde cum opus sit eruamus, habere necesse est. Quamobrem aliqua arte memoriæ vires si imbecillę fuerint reficiendæ sunt. Item repetitio è memoria. quæ recordationem perficit, arte non caret quam inueniendi argumenti appellant, cum rei subiectæ, quid quauis ratione comparari & ad eam referri possit, inuestigamus eam per omnes locos deferendo, ac quærendo quodnam eius genus, quænam eius species, quę definitio, quæ causæ &c., & singula notando. Verum cũ non solum ea quæ nostrę causę prosint hac inueltigatione sæpè reperimus, sed etiam quæ ad id quod defendimus & tractamus euertendum magnam vim sæpe habeant, ergo ne seligere quidem ea quæ prosint sine arte poterimus. Sunt enim quidam, qui memoria sunt infirma, qui recordatione valent, vt testis Arist. est, atq; ideo licet facilè è memoria, quod tenent, repetant, tamen non facilè retinent; sunt alij vt idem testis est, qui memoria valent, sed non facili recordatione repetunt, sunt etiam qui vtrunq; fortassis præstent, sed quæ ex inuentis reijcienda sunt, quæq; ex reliquis aptissima ad id quod volumus tractandum non facilè vident, imo nonnunquam, vt videre licet, id eligunt quod ad euertendam eorum causam

C. 1. libri de memoria & remi niscentia.

ſam maximam vim habent. Quare tot logicę partes ſunt, vna ſcilicet ſimplicia menti informandi, altera copulata (atque adeo diuerſa) intelligendi tertia congruentia & repugnantia perſpiciendi, quarta vera & falſa iudicandi, quinta multa via & ratione tractandi, & quaſi vno conſpectu contemplandi, ſexta item memoriæ bene mandandi, ſeptima è memoria vt inueniamus quod de re noſtra dicatur repetendum, octaua ex inuentis quod aptiſſimum ſit eligendum. Atq; his partibus logicæ, ſuos libros Ariſt. videtur accommodaſſe, in categorijs enim cognationes ſignificationum ſimplicium rationum ſiue notionum declarat. In libro de elocutione, ſiue de enunciatione, qui perihermenias, copulatorum rationes quaſdam. In primo libro priorum analyticorum, quidcunq; contineat, ideſt conſequatur vel antecedat aperit maxima ex parte; reuocare enim omnia obſcuriora ad ea quæ dilucida ſnnt in analyticis docet, atq; ea ratione analyticos, & non à reſoluendo eos libros appellat. In primò verò omnes argumentationes minus claras ad clariores reuocat, vt quid cuiq; conſequens ſit, aut antecedat facile perſpici poſſit; verum contrariorum cum eadem ſit diſciplina, & conuenire & repugnare ſint contraria, certè de repugnantibus eadem in parte dicendum erat, præſertim cũ non omnia, quæ non conueniunt repugnent, ſed quędam media ſint, verum de repugnantibus in libro de elocutione dicit. In ſecundo Priorum analyticorum, & in duobus poſteriorum de iudicando præcepta dat, quę ex antecedentium conſequentium, & repugnantium veritate vel falſitate ferè omnia iudicanda eſſe docent, ſaltem quæ ex alijs iudicari ſolent. In methodicis libris octo de ratione contemplandi, quid ſcilicet qua via & ratione tractari debeat diſputauit, verum illi libri interciderunt. In topicis duas partes quodammodo explicare videri poteſt, alteram inueniendi argumenti, repetendo è memoria conſiderationem locorum, alteram eligendi argumenti apti adiunctis ſingulorum locorum conſiderationi maximis, quos Latini locos communes appellant, quamuis hanc partem etiam quodammodo in primo priorum analyticorum attingat.

Sunt qui logicam in duas partes diuidunt, veterem ſcilicet, quæ argumentationes non attingat, prędicamentis, & libro perihermenias, cum prædicabiliqus compræhenſam, & nouam quæ ad argumentationes pertineat. Rectè quidem quatenus eas partes ſeparant, ſed vitioſè quatenus duas tantummodo tam confuſa ratione ſtatuunt. Alij ſunt qui in ratione inueniendi & iudicandi eam diſtribuant, qui rectè eas duas partes ſtatuunt, ſed alias vitioſè omittunt. Item alij, qui inueniendi rationem, & diſponendi vniuerſam logicam partiuntur, non modo vitioſè quod cæteras eius parter omittant, ſed etiam quod argumentandi & enuntiandi rationes ad diſpoſitionem trahant, quemadmodum ſuperiores argumentandi ſeu ratiocinandi rationẽ ad iudicandi facultatem referebant. Alij duas partes fecerunt alteram vniuerſalem ſeu cummunem, & alteram particolarem ſeu propriam, vniuerſalem ponentes in categorematis, categorijs, perihermenia, & analyticis prioribus, particularem in cæteris. Alij duas partes huius artis facientes alteram quæſtioni ſimplici alteram copulatæ tribuunt. At priorem rectè ſeparant, ſed vitioſè vnam tantum reliquam faciunt. Alij duas partes faciunt alteram inſtrumentalem, quæ in definitione, diuiſione, & argumentatione verſatur, alteram verò me-

thodicam. Ac hi quidem rectè methodi rationem separant, sed confusè cætera vnam partem faciunt. Alij duas partes huius facultatis ponunt alteram positam in probabilibus, alteram in necessarijs, qui vitiosissimè rem tractant, quod necessarium & probabile solum ad iudicandi partem pertinet. Alij partem elementarem, & topicam in probabilibus, & analyticam in necessarijs tres partes facientes, statuunt. Alij partem communem, in qua etiam priora analytica includant, & topicam, & analyticam faciunt, sed quid topica, quidq; analytica significet ignorant. Alij tres partes faciunt vnam versantem in simplicibus notionibus, alteram in copulatis, & tertiam in argumentatione, distinctè quidem, nisi cæteras partes neglexissent. Alij partem elementarem, & inueniendi, & iudicandi rationes ponunt, qui ambo partem vnam in simplicibus versari intelligũt à cęteris distinctam. Alij ad definitionem, diuisionem & argumentationem omnia referunt, sed non intelligunt definitionem & diuisionem ad simplicium rationem animo informandam pertinere. Alij artes faciunt duas vnam positam in probabilibus, & alteram in necessarijs, quarum hanc quidem analyticam, alij logicam, illam alij dialecticam, alij topicā nominant. Alij tres artes esse voluerunt apodicticam, dialecticam, sophisticam. Alij ad vnam argumentationem omnia referunt, siue demonstrationem, quod vt dicunt ex simplicibus copulata fiant, quę sunt enuntiationes, & ex enuntiationibus syllogismi; item inuenienda omnia credũt, vt ex ijs aliqua eligamus, quę in syllogismis & demonstrationibus vsui sint. Itaq; quisq; eas partes quas maximè (cum à natura ei non suppeterent) admiratus est, solas eius artis partes statuebat, sed alius, ac alius alias. Cęteras verò contemneret, aut certè eas nullas esse putabat, quas assequi nequibat. Ita enim Stoici præter iudicandi rationem cætera omnia (vt contingeret) à natura dari sine arte putarunt, homines scilicet in iudicandis vel suis ipsorum inuentis planè rudes, vt testis est Cicero, qui eos (dialecticorum nomine appellans) multa peperisse, quæ ipsi dissoluere non possent. Sed nemo tam incommodè rem logicam statuit, quin alicuius partis ab alijs distinctionem ex eo accipere liceat, quæ aliquam mentis vim ad facilius cognoscendum quoddam rationum genus cõfirmet. Verum enimuerò vt nulla fortasse Logicæ pars sit, quæ alias non admiret, ita eas quas diximus inter se distinctas, & non (vt putatur) alias ad alias referri prorsus confirmandum est. Nam singularum fines diuersi sunt, generali tamen fini subiectæ omnes, itidem materię subiectæ, & præcepta diuersa sunt. Primæ enim partis finis simplicis rationis facilis informatio, materia simplex notio siue ratio, præcepta huiusmodi: si generi differentiam propriam addideris explicatam rei notionem facilè omnino informabis, si in species diuiseris notionem rei, licet confusiorem, facile disces. Secundę partis finis est facilis copulatę rationis intelligentia, vt quid dicatur accipias, materia copulata ratio, præcepta huiusmodi. si genus dicendi & enuntiandi perspiciatur, si singulæ partes vt acceptæ sunt considerentur, si naturali ordine omnino exponantur, facilius sententia intelligitur. Tertiæ partis finis est facilis prospicientia conuenientię & repugnantię copulatorum, materia rationes copulatæ plures, quatenus inter se ita comparantur, pręcepta huiusmodi: si medium verbum hoc vel illo modo cum extremis coniungitur, vel coaptatur hoc illi

est

est consequens, illud huic est antecedens, si tali modo negetur & affirmetur idem de eodem hoc illi est repugnans. Quartæ partis finis est facilis perspicientia veritatis & falsitatis, materia ratio vera vel falsa, vel enuntiatio siue sententia rei subiectæ comparata, pręcepta huiusmodi: si hæc sunt consequentia & antecedens verum, siue rei de qua dicitur conueniens, certe consequens verum est, si hoc illi repugnans atq; hoc verum, illud certè est falsum. Quintæ partis finis est facilis synopsis aut conspectus omnium partium simul, cum multa de re aliqua dicuntur, materia multæ rationis ordinandæ, præcepta huiusmodi: generalius præferendum est, quæ pertinent ad essentiam rei primo, deinde quæ ad rerum modos, idest qualitatem, & quantitatem, tum quæ ad earum relationem disponuntur. Sextę partis finis est facilis inhæsio in memoria, aut facilis mandatio memoriæ, materia omnia genera rationum quatenus consignanda sunt, pręcepta huiusmodi: si in numero, & ordine memorię tradas, si cum comparatione ad id de quo sæpè cogitas &c. facilius signabis in memorię thesauro. Septimæ partis finis est facilis inuentio aut recordatio potius eorum, quæ de re proposita dici posse videantur, materia eæ notiones, quæ ad rem propositam pertinere videantur, præcepta huiusmodi: Si rem propositam per omnes locos inquirendo, exēpli causa quod nam eius genus, species, definitio, causæ &c. deferas, multa quæ de re tua dicantur reperiendo. Octauæ partis finis facilis electio eorum, quæ rem, quam proponimus, apertius cęteris declarant, materia inuenta ratio apta proposito declarando, pręcepta huiusmodi: si verbum inuētum attributo antecedit & consequitur subiecto ad declarandum & confirmandum vniuersale affirmatiuum valet &c. definitio, definitum, propria differentia &c siue subiecti, siue attributi ad omne enunciatorum genus valent; item ad simplices enunciationes informandas animo, definitio, genus, species, & differentia vel maximam vim habent. Quare notum sit has partes inter se distinctas esse. Superest vt ostendamus eas non omnino, vt volunt, ad alias referri, ita vt non in seipsis vltimos suos fines contineant, sed propter alias aliæ, & non propter se dicendę sint. Nam quamuis eum, qui copulata intelligat, necesse esse videatur vt simplicia nota habuerit, quæ copulantur, tamen non necessariò consequitur, vt prior illa pars propter secundam dicenda sit, & non propter se; nam copulationis præcepta facile intelligi possunt, non idem notis categorijs de finiendi, diuidendi &c. præceptis, quę simplicem notionem animo informare docent, imo illa copulandi præcepta his categoriarū multo sunt illustriora & intellectu faciliora, etiam si hæc ipsa de categorijs pręcepta negligantur. At stultum est obscuriorem artem propter faciliorem, siue qua hæc disci facile possit, tradere. Deinde non omnino verum est copulata intelligi non posse nisi simplices notiones noueris animo separatim informare, nam Hiero & Simonides intellexerunt probe Deū omnia gubernare, Deo sacrificandum &c. at simplicem Dei notionem non nouerunt animis informare. D. Augustinus intellexit se in tempore esse, in tempore venire, & omnia in tempore agere & tamen non potuit simplicem temporis notionem animo informare, vt hæc omnia in litteris confessionum testatur ipse. Imo vel aliquis è populo copulata intellexerit, quæ vel Philosophi multi ad categorias & simplices & perspicuas notio-

nes non reuocauerunt. Testantur millæ disputationes Platonicæ, millæ definitionum obscurissimarum inuestigationes Aristotelicæ. Nemo enim vel ex plebe non intellexerit Cælum moueri, animum se habere, siquis hæc enunciet, at quotus quisq; Philosophorum, quid esset motus, quid animus, vt simplices eorum notiones menti vel suæ, vel alienæ informare posset, potuit perspicere? Quid verò siquis proferat ex omnibus B, solum C est A, vel omnino dicat omne B esse A, nec indicet quid per A. B. C. intelligat, vt sub quo categoriarum genere ea reponat nemo scire possit, sed exponat se tres res animo versare, quas his nominibus appellare placeat, ne consilium suum prodat, libenterq; scire se velle affirmet quid huiusmodi copulatæ rationes valeant. Non ne sine vllo categoriarum respectu statim quis genus compositionis viderit, ac dixerit idem valere primum, ac ex omnibus, quæ nomine B. continentur collectis, quoddam C. esse A, & nihil quod non sit C. esse A; alteram valere B. esse A, & nihil esse B, quin idem sit A, vel de quocunq; licet dicere quod sit B, de eodem licere dicere quod sit A. At cuius generis rerum sit vel A. vel B, vel C. non idem est inquisitum. At copulata ex simplicibus fiunt, qui tum? an qui lectum componat necesse sit cuius generis lignum sit quod ei effertur perspectum habere? an vestem pelliceam cum iusseris tibi faciat quis, is conscindere & consuere pelles non poterit, nisi cuius animalis pelles sint indicatum ei prius fuerit? Imo ad componendas & diuidendas rationes sufficit scire hæc significare aliqua (quemadmodum nomina & categoremata definiunt) has verò quodam tantummodo, quo scilicet possit vna alteri coniungi, qua ratione pura verba, & alia syncategoremata intelligi solent. Quod vero ad ratiocinandi rationem etiam categorias referunt, id multo ineptius, nemo enim sanus dubitauerit an hic syllogismus probus sit: Omne, B, est, A, & omne, C, est, B, ergo omne C, est, A, etiam si his qui ratiocinationem hanc examinandam proposuerit iudicare nollet quid his nominibus A, B, C, designatum velit. Iam verò in simplici notione mens hominis sæpe numero quiescit contenta, nec vlterius progredi cupiens, vt Hieronis Simonides, & Augustini conuenissent, si simplices rationes seu notiones Dei, & temporis perfectas reperissent, nec vltra quid de ijs enuntiando diceretur quæsiuissent, saltem quærere ijs necessarium non erat.

Iam de altera parte disseramus, quam nemo, quod sciam, ad priorem partem refert, quamuis vtranq; alteri conferre aliquis existimauerit, verum id non per se, sed quemadmodum pingendi ars scriptoribus prodest (vt Cicero habet) aut quemadmodum calcei vsus, & finis duo sunt, vt Arist. in primo Politi: habet, alter per se, vt induatur eo pes, alter per aliud vt venditione eius pecunia acquiratur. Verum ea pars necessaria est nam cognitis probè simplicibus omnibus sæpe numero copulata non intelliguntur, quod in hyperbatis maximè videri potest: vt treis notus abreptas in saxa latentia torquet: Saxa vocant Itali medijs, quæ in fluctibus Aras. Item: vina bonus, quæ deinde cadis onerarat Acestes, littore Trinacrio, dederatq; abeuntibus heros Diuidit &c Non enim quiuis, qui singula horum exemplorum verba nouerit, quæ sententia his copulatis subiecta sit exponere aut intelligere poterit. Imo solus sapiens est diues, & omnis sapiens est diues, multi idem esse putant cum longissimè

distent

distent, quemadmodum sola substantia est animal, & omnis substantia est animal, quarum altera necessaria est altera impossibilis. Sed iam quærendum est num ad argumentandi facultatem referri hæc pars prorsus debeat, vt quamplurimi putant. Certè etiamsi multis partibus conducat, fortassè vt pingendi facultas sculptoribus, tamen non semper ad eā hanc referri necesse est, nam rebus intellectis sæpe numero animus quiescit, veluti intellecta historia Titi Liuij, aut alterius cuiuspiam contenta fere mens fit, nec ad argumentandum ex ea procedit vt plurimum, imo nec an vera scribat an falsa quicquam sępius cogitat, ergo eius finem ad argumentationis & consequentię rationem non necessariò quisquam retulerit. Quin etiam sæpe numero congruenter multis intelligimus dicere, cum quid dicant nesciamus; forma enim syllogismi manifesta esse potest cum compositio enuntiationum obscura sit. Nam sit exempli gratia B. obscura oratio, itemq; A, agnoses tamen hanc formam ratiocinandi, si, B, A, sed non, A, ergo non, B, item vel, B, vel, A, sed non, B, ergo, A. Item sint A, B, C, verba copulata obscura in se, vel etiam simplicia, sed non obscure admodum inter se conuenientia, erit tamen isthæc argumentatio perspicua, omne B, A, & omne C, B, ergo omne C, A; At dicat aliquis etiamsi non perspicuum sit, quę sententia subiecta sit, tamen perspectum habere necesse fore, quomodo partes iunctæ sint. Certè ne id quidem omnino, nam satis est fortasse eadem forma iunctum esse scire primum verbum postremo quo hæc iuncta sunt medio. Dico tamen hanc partam facultati argumentandi immensam vtilitatem, sed per aliud, afferre, vt etiam forrasse maiorem arti iudicandi quamuis intellecto antecedente & vero iudicato, & perspecta consequentiæ bonitate, liceat non intellectum consequens verum etiam iudicare &c.

Iam verò tertia pars necessaria est; nam non omnis, qui probè intelligit quid dicatur, nouit consequentia & repugnantia videre; quantusquisq; enim est, qui respicit hæc reciprocari solus sapiens est diues, omnis diues est sapiens, nullus præter sapientem est diues, etiam si de sententia vnicuiq; subiecta minime dubitet. Atq; hanc partem quamuis ad intelligenda copulata plurimum sæpe numero conferat, nemo tamen ad eam partem, quæ de intelligendo est refert, ergo conuenit tantum ostendere eam ad facultatem iudicandi non prorsus, vt putant multi, referri posse, verum ineptius etiam plurimi putant hanc atq; iudicandi facultatem eandem esse cum longissimè differant. Hac enim arte non quam verè aut falsè quippiam dicatur solemus inquirere, sed quam congruenter, aut repugnanter, quemadmodum Cicero, vt diximus, se in Epicureos inquirere dicit non quam verè, sed quam congruenter dicant. Eodem modo omnes Academici veritatem & falsitatem non inquirebant (cohibebant enim animos suos ab omni assensione) sed num omnia conuenienter, hoc est probabiliter dicerentur, disputabant. Qua ratione & id notum est, hanc partem & eius finem non ad iudicium necessariò referri, sed perspecta rerum consequentia, aut repugnantia sæpe numero animū quiescere.

Iam verò perspecta enunciationum consequentia, vel repugnantia sæpe numero non contingit quicunq; verum esse vel falsum iudicare, nam inter has: Astra in Cælo sunt numero pari, non sunt Astra in Cęlo nume-

ro pari facilè est repugnantia videre, at neutrum est facile verum vel falsum iudicare. Item inter has omne lignum est animal, & omnis homo est lignum, omnis homo est animal, perspicitur facile consequentia, at ex tali antecedente falso; neq; iudicari potest consequens verum neq; falsum, & ex tali consequente vero non potest iudicari antecedens nec verum, nec falsum, potest enim vtrumuis accidere, quatenus pertinet ad formam consequentię. Item licet dicere, si quis sumat omnem motionem esse rem, quæ mouetur, & tempus esse motionem, vt concludat tempus esse rem quę mouetur. Nam solus Philosophus, qui ex nominantium secta est, cum consequentiam hanc perspexerit cõsequens iudicabit, nam qui reales dicuntur ex falso antecedente, vt opinantur, nihil iudicare possunt. Cęteri verò cum de antdcedente dubitent de consequente iudicium non ferent. Quartam partem, quæ de iudicando est, omnes necessariam esse norunt, differreq; à quinta, quæ de methodo est facile concedunt, quam à tertia parte seiunctam esse docuimus, quod non semper perspecta consequentia & repugnantia animus contentus est, sed vult sæpius quid veri sit in quæstione videre & persequi, & falsum auersari. Quin nonnulla sunt, quę ex antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus non iudicantur, quod nulla notiora habeant, vt quæ principia dicuntur, de quibus in 2. Post. Analyt. Imo in reliquis oportet prius perspicere consequentiam aut repugnantiam, quam ex præceptis iudicandi aliquid iudices. Sunt tamen & aliæ iudicandi rationes in 2. Priorum expositæ. Quintam partem norunt omnes necessariam esse, nam sine ea videntur omnia, quę tractantur, vt scopę dissolutæ, per eam enim omnia statuũtur ordine & dispositione continua, vt omnes partes rerum tractatarum liceat vno mentis oculo videre, & quasi concinnatum tractationis corpus integrum animo cernere. Iam verò quemadmodum præcepta primę partis intelligi facilè possunt absq; cognitione præceptorum secundę, tertiæ, quartæ, & quintæ, ita præcepta tertię partis absq; cognitione pręceptorum primæ & cęterarum, & pręcepta quartæ partis absq; cognitione priorum trium & quintę, & pręcepta quintæ absq; cognitione quatuor priorum. At fortasse quis dicet difficilius neglectis præceptis secundæ partis, quam quartæ, posse tertiam partem intelligi, vt hac ratione contendat partem eam, quæ est de ratiocinatione, & eam, quę est de iudicando vnam esse. Certè pręcepta tertię partis intelligi possunt absq; cognitione præceptorum secundæ & quartę, exempli gratia hoc præceptum connexo & eius antecedenti consequitur consequens eiusdem connexi; item oc connexo & contradicenti consequentis consequitur eiusdem cõnexi antecedentis contradicens, etiamsi quid sit connexum, & qua ratione intelligatur minime notum sit, veluti scio omnem latronem, & insidiarorem iure occidi posse, etiam si quid sit latro aut insidiator prorsus nesciam. Nam quod leges proponunt authoritatem habet, ergo si in legibus id proponitur, nec intelligam planè latrones, ratione scilicet intelligam eum vitiosum aliquem esse, certè legis pręceptum intelligo, scilicet si nouero latronem, nouero eum iure occidi posse. Ita etiam si non nouero quodnam sit connexum, tamen sciam si sit connexum quod proponitur ita sequi oportere ex præcepto, & sic de cęteris dicendum est. Quin etiam præcepta quartæ partis sine cognitione pręceptorum tertiæ

partis

partis omnino possunt intelligi, exempli causa hoc præceptum, si bonæ consequentiæ antecedens est verum, consequens etiam verum est, facile intelligitur, quamuis quæ quibus consequantur non nouerit quis dicere. Id tamen videtur necesse fateri nisi perspecta consequentia enuntiationũ, aut repugnantia non vsu venire ex arte iudicare aliquid verum vel falsũ, nisi id ex eorum numero sit quod non ex alia enuntiatione, sed per se notum sit cuiusmodi sunt principia. Vnde quis non absurdè dixerit fortasse hac ratione coniunctas esse ferè & vnitas has partes, & perspicere consequentia nihil aliud esse, quam perspicere si antecedens est verum consequens verum esse, quod vel primum præceptum est artis iudicandi & eodem modo de perspicientia repugnantiæ; dicendum est quod sit consideratio huiusmodi, si hoc verum est illud falsum esse &c. Ergo præcepta harum partium vel sic distinguenda sunt, si talia sunt enunciata consequentia sunt, & si consequentia sunt & antecedens verum, consequens etiam verum. Vel sic coniungenda si sunt talia & illud verum hoc etiã verum est. Verum vtut res est à Dialecticis nostri temporis præcepta iudicandi non traduntur perspicue. At distinctius omnia diuisis partibus & distinctis tractari possunt, præsertim cùm non semper quid verè dicatur (vt docuimus) quærimus, sed quid congruenter. Deinde iubemur ex priore parte considerare an talia sint enuntiata, vt perspiciamus an consequentia sit, vel ut uis, an si hoc est uerum illud necessario sit verum &c. Ex posteriore verò parte iubemur considerare an ex consequentibus antecedens sit verum vt iudicemus ex eo consequens esse verum, & sic de cæteris præceptis earum partium. At audio nonnullos dicere ex hac parte de ratiocinando discimus iudicare syllogismum bonum esse, quid tum? nonne etiam ex prima parte iudicamus etiam hoc in hac categoria, illud verò in illa esse, & ex secunda parte hanc sententiam huic enunciationi subiectam esse, & ita de cæteris partibus Logicæ. Imò verò ex morali Philosophia virtutem ad felicitatem prodesse, & ex naturali Deum primum motorem esse &c., an ideo aliqua harum ars est dicenda iudicandi, an potius ea sola, quæ eius cuius veritatem scire desideras, quemadmodum veritas inuestigetur docet certa ratione & generali? Non enim si ex cognitione alicuius artis multa argumenta inuenias ad statuenda ea, quæ sunt tuæ artis, ars tua dicenda ars est inueniendi; non enim præcepta dat de inueniendo, sed de moribus, vel de natura, vel de numero &c. Ergo neq; etiam si ex eadem cognitione multa iudices, quæ tuis præceptis subiecta sint dicetur ars iudicandi, non enim de iudicando præcepta dat, sed de natura vel de moribus &c., item de syllogismo & consequentia &c. non de iudicio veri vel falsi. Sed multi sunt qui dispositione eam partẽ, quæ est de iudicando, & ratiocinandi rationem, imo nonnulli etiam licet ineptissimè rationem enuntiandi siue componendi, compræhendunt. At cum eadem sit enuntiatio siue dixeris Scipio euertit Carthaginem, siue euertit Carthaginem Scipio, siue Chartaginem Scipio euertit, siue euertit Scipio Chartaginem, siue Scipio Carthaginem euertit, siue Carthaginem euertit Scipio, certe dispositio de enuntiationis essentia esse non potest, cum essentia re eadem manente mutari non possit. At certè dicere non eandem manere enuntiationem, cum eadem penitus sententia subiecta sit stultum esse videtur. Item irridentur sophistæ, qui suas enuntia-

tiones faciunt Regem vidi, & vidi Regem, cum tamen velint dicere diuersas sententias; at nostri nec id quidem dicere aut possunt aut volunt. Preterea ab omnibus id positum est, nomina & verba transposita eodem modo accepta idem significare, ergo dispositio non mutabit sententiam subiectam, nisi nomina diuersam habeant acceptionem; veluti cum dicimus hominem non esse animal, & animal non esse hominem, in quarum priore homo non vniuersaliter, animal verò vniuersaliter intelligitur, at in posteriore animal non vniuersaliter, homo vniuersaliter accipitur. Iam verò quid aut stupidius aut incommodius, quam cum duo verba in enunciatione duobus modis disponi possint, tria verò ter duobus, idest sex modis, quatuor autem verba quatuor sex idest viginti quatuor modis, & quinque centum & viginti modis, & sic de cęteris, quid inquam incommodius quam, ex vnica sententia tot enuntiationes esse diuersas, dicere, quasi non eadem omnium veritas. Non tamen id negauero spectandam esse enuntiationis dispositionem, vt si obscurioris quippiam dicatur, reuocatione omnium ad naturalem ordinem, facilius intelligatur. Non tamen minus remanet eadem enuntiatio, quemadmodum homo idem est sedens ac stans, & herinaceus idem animal conuolutus & explicatus. Est ergo dispositio accidens enuntiationis, cum eadem manente enuntiatione mutetur, siquidem accidens est, quod sine subiecti interitu mutari potest, idest ad esse & abesse, quod hoc exemplo doceri potest: idem homo manens non potest esse alias hoc animal, alias aliud animal, ergo nec eadem enuntiatio mutaretur vt alias esset hæc dispositio alias alia, siquidem dispositio esset eius genus & essentia. Item nec idem animal manere potest vt alias sit homo, alias bestia, sic nec eadem dispositio manere potest, vt alias esset hæc enuntiatio, alias illa, etiam si alia omnia præter essentiam mutentur. Ergo omnis homo est animal & non omnis homo est animal, quia eadem dispositio eorundem terminorum manet, eadem enuntiatio esset. Ita ineptissimè quidem enuntiationem dispositionem esse definiunt. Illi etiam qui syllogismorum & consequentiæ rationem in dispositione verborum ponunt non satis acutè vident, licet plurimi sint, & Arist: sic latinè loquentem faciant: nam in triplici illa dispositione figurarum quam faciunt quiduis concludere licet. Exempli gratia volumus affirmationem, quæ petatur solum in primæ figuræ dispositione concludi posse, etiam in triplici illa concludi potest, vt omne, C, est, A, In prima hoc modo: Omne, B, est, A, & omne, C, est, B, ergo omne, C, est, A, In secunda verò hoc modo: solum, A, est, B, & omne, C, est, B, ergo omne, C, est, A. In tertia autem hoc modo: Omne, B, est, A, & solum, B, est, C, ergo omne, C, est, A. Nam idem declarant omne, B, est A, & solum, A, est, B, aut saltem reciprocantur, vt facilè est demonstrare. At ex Arist: doctrina omnes hi tres syllogismi sunt in primo modo primæ figuræ, si eius definitiones rectè intelligantur, qui dispositione nec modos nec figuras definiuit. Fatemur tamen verbis dispositis in naturali dispositione copulata facilius intelligi, & consequentia nonnunquam clarius cerni. Verum vt vt res se habet longe alia est hæc contemplationis dispositio ab ea, quæ continetur in syllogismo & enuntiatione. Sequuntur tres partes quarum tres pręcepta, etiam si incognitis superioribus, videntur posse tractari & intelligi, tamen earum vsus non

propter

propter se requiri, sed ad superiores referri videtur; nam omnia in quibus superiores partes versantur cupimus memoriæ mandare, vt inde liceat aliquando eadem quantum opus sit exprimere (quod arte fit reperiendi, siinueniendi) ac ex expromptis & repertis ea quæ, ad ea quæ tractamus declaranda, vsum habent, eligere. Verum memoriæ prosunt dispositiones consideratio partium dispositarum, numerus animo traditus, repetitio seu retentio. Recordationi siue è memoria reuocationi, quam inuentionem vocant, repetitio per locos singulos prodest. Has esse diuersas partes certum est, quoniam Arist. teste, qui memoria valent ijs recordari plerumq; non est facilè, & contra qui valent recordatione, ijs non est facilè memoriæ mandare, deinde præcepta sunt diuersa harum partium vt dictum est. At electio qua reijciuntur inuenta, quæ non pro sunt nostræ causæ, & ex ijs quæ possunt prodesse seligimus optima, diuersa ab vtraq; habet præcepta: Nam prima docet conseruare omnia, altera expromere omnia, tertia seligere pauca optima. Hæq; hæ partes a d eam, quæ argumentationes declarat, referri debent. Non enim solum quæ ad argumentandum vel iudicandum prosunt, memoriæ mandamus, nec ea solum ab ea repetimus, nec seligimus repetita & inuenta solum in eum finem, sed etiam dum simplicem notionem animo informare volumus repetita & inuenta adhibemus, veluti genera, species, differentias &c. Imo etiam accidentia nonnunquam, vt vult Arist. in lib de Anima, cum cognitionem accidentium ad cognitionem subiecti asserit valere. Item adinuentu Arist. cum in rebus copulatis oratio obscurior est nomen quod inueniamus minus obscurum, aut orationem aliam pro ea subdamus, & contra pro nomine aliquando orationem. Item eadem arte inuenimus & seligimus ea quæ replent & continuam faciunt, rerum quæ methodo exponuntur tractationem; imo verò etiam hæ partes mutuo sese iuuant fortasse magis quam cęteræ. Deinde repetitio è memoria, non solum iuuat eam iteratione, sed etiam cum aliquid mandandum est memoriæ, quærimus hac eadem repetitionis arte, quæ ad id pertineant vt seligamus insigniores quasdam notas & expeditas, quibus quasi inuitum id tradamus firmiori memoriæ. Tum vt inuentionis seu repetitionis artem perspicuum est prodesse eligenti, cum exhibeat ea, quæ eligenda sunt, & proprijs notis omnia insigniat, vt eligere facilius queat, quod hæc definitionis nota illa generis &c. insignita præbeat, ita eligendi ratio prodest repetenti & inuenienti; nam ferè admonet vt ex paucis quibusdam locis (ne laborem suscipiamus si de omni re omnes locos adeamus) qui optima argumenta & aptissima rei propositę declarandæ præbeant, repetamus primum. Postremo hæc repetendi seu recordandi ars reciprocari in se videtur, nam si quid cuius recorderis propositum tibi sit, exempli causa homo aliquis, qui se tibi amicum & familiarem offert, quem non cognosses, repetenda sunt & consideranda omnia, quæ ad eum pertinere videntur, vt ex aliqua nota vel corporis, vel alia quauis notus tibi fiat, item quę ad te pertinent repetas ætatem tuam per singulas partes, loca in quibus versatus es, actiones, societates &c., vt ita facilius recorderis. Perspicuum est igitur Logicæ partes mutua adiumenta afferre, sed planè inter se diuersas esse. Sed videbimur quibusdam definiendi & diuidendi facultates neglexisse, alijs verò iam proclamatam distinctionem Dialecticæ & Analyticæ, aut Dia-

De memoria & reminiscentia.

Lib. primo text. xi.

lectice & Logicæ,quaſi hæ vel diuerſę ſint partes, vel diuerſæ artes diſſerendi, quas alij topicam & analyticam appellant, ignorantes primum topicam dici à τόποις, ideſt locis in quibus verſatur,& non in probabilibus (vt ipſi volunt) à quibus non topica ſed eudoxica dicta fuiſſet,deinde Ariſt. in principio lib. 8.topicorum affirmat inuentionem temporũ ideſt locorum, à qua topica dicitur eſſe communem Dialectico, ideſt probabiliter diſputanti & Philoſopho, ideſt neceſſario argumento demonſtranti, tum quæ ex locis per topicam inueniuntur & habentur eſſe ferè ſimplicia,ac ita nec probabilia,nec neceſſaria, licet ad vtrunq; genus tractandi poſſint ex æquo accommodari. At definiendi & diuidendi præcepta ad cognitionem ſimplicium cum nonnullis alijs volo pertinere; nã ex hominis & beſtiæ notionibus, ex Ariſt. doctrina, agnoſcimus animalis notionem ſimplicem efformare, ita ex partium in diuiſione poſitarum notionibus diuiſionis totius rationem facile eſt elicere. Item ex ſimul iunctis animalis & rationalis notionibus facilè eſt perfectam hominis notionem ſimplicem excipere. De dialectica verò ſeu topica & analytica & logica dico penuria vocabulorum totam difficultatem ortam eſſe. Nam faciamus Dialecticam ſeu topicam, & analyticam ſeu logicam, vel diuerſas partes artis vnius, vel diuerſas artes diſſerendi,iam quærimus quibus notionibus diſtinguantur: Reſpondes quod Dialectica ſeu topica in probabilibus,& non in neceſſarijs & perſpicuis verſatur, altera verò, in neceſſarijs & perſpicuis. Iam verò ars categoriarum, ars enunciationum ars ſyllogiſmorum & repugnantiarum, ars etiam diſponendi quadam, perſpicua methodo, ars inueniendi quam communem & eandem eſſe Dialectico (quem topicam alij appellare debent) & philoſopho (ideſt logico vel analytico) dicit Ariſt. 8. topicorum, ars mandandi memorię &c. cuiuſuis harum vel partium vel artium duarum vnaquæq; harum eſt. Certè vt cętera omittam enuntiandi eadem forma videtur in neceſſarijs & in non neceſſarijs,itemq; ratiocinandi,& ſi Ariſt. credimus inueniendi. Si ergo neutrius harum propriæ hæ partes ſunt & ad diſſerendum pertinent,certè vel aliæ partes ſtatuendæ erant, vel alia ars tertia, quæ has contineret. At audio ineptam reſponſionem,has partes eſſe communes vtrinque. Ergo quæuis harum quauis iſtarum prior & nobilior quatenus cõmunior, & potius numeranda in primis partibus, vel artibus differendi; niſi forte ſi qua adeſt,quæ ad alias referri debeat, cum propter ſe non expetatur. Præterea ars communis Dialecticæ ſeu topicæ & alijs,neq; poteſt eſſe tota Dialectica ſeu topica,nec eius pars alioqui Dialectica ſeu topica ipſa non eſſet diſtincta ab analytica ſeu logica, ſi conueniret ei vt ſibi ipſi,aut etiam pars eius, vt pars etiam conueniret analyticę. Nulla enim pars latius vagatur quam totum, & tota Dialectica ſeu topica in ſolis probabilibus verſari dicitur,ergo pars eius non erit, quæ æque verſatur in alijs videlicet in neceſſarijs & perſpicuis. Imo quod latius patet quam dialectica ſeu topica in ea tradi non poteſt, & ſimiliter quod latius patet quam analytica ſeu logica non poteſt in analytica tradi,ergo nulla harum communiter poteſt vel in dialectica ſeu topica, vel analytica ſeu logica tradi,& ita prorſus hæ partes ſuperiores à Dialectica ſeu topica & analytica ſunt diſtinctæ, & tamen ad diſſerendum ſunt penitus neceſſariæ. Quid quod categoriarum facultas non in probabilibus, non in neceſſarijs

Cap. 1. (margin, beside "inde Ariſt. in principio lib. 8.topicorum")

Cap. 1. (margin, beside "co vel analytico) dicit Ariſt. 8. topicorum")

cessarijs potest versari, cum in solis simplicibus versetur. Quid quod inueniendi ars etiam simplicia doceat, vel maxime inuenire, in quorum vestigatione versatur, & non in probabilibus vel necessarijs. At ais inuentis opus est Dialecticæ seu probabiliter disserenti, quid tum? Et contexto panno opus est fulloni functuro suo munere, & fabrefacto pectine textori, at neq; artem fabrorum ad texturam dicet quis sanus referendam esse, neq; textorum artem ad fullonicam, tantum abest vt harum partes illas velit dicere; quare longe alia ineunda ratio est Dialecticæ, Analyticæ, & Logicæ. Cum igitur non solum verum ne an falsum sit quippiam quod à nobis iudicetur inquirimus & disputamus (quod ex secundo Priorum intelligimus) sed etiam necessariò ne & certò verum vel falsum an tantum probabiliter, & iterum ex proprijs causis tale esse certum est, an aliunde &c. analyticam disputationem solet Arist. appellare eam, qua ad proprias causas rem quæ iudicetur, reuocamus. Logicam verò (communi nomine proprio, cum nullum esset impositum, vsus) eam quæ necessariò & certò rem sic se habere doceret, sed non semper ex proprijs causis. Dialecticam autem (hic omnium communi nomine vsus) quę doceret rem, non necessariò & certò, sed probabiliter, ita se habere. Topicæ autem nomen propter ignorationem græci verbi est inductum ad hanc rem & peruersam intelligentiā primorum verborum libri primi Topicorum. Quas notiones vt iudicandi facultatis partes, etiamsi non tam apertè, distinctis nominibus exponit primo posteriorum analyticorum, qui disputationem eam etiā analyticam vocat, qua etiam probabilia & non necessaria reuocantur ad suas proprias causas, propterea quod analysis vbiq; Aristoteli significet reuocationem, & quantum obseruare potui nunquam dissolutionem, aut resolutionem nisi fortè in quodam loco problematum, in quo fortasse etiam scriptum erat ab Arist. διαλύειν. Nam ἀνάγειν, & ἀναλύειν pro eodem vbique vtitur itaq; cum Aristoteles vtitur ἀναλύειν in figuras & in modos argumentationum potius videtur significare componere quam dissoluere, & ἀναλύειν vnum modum ad alium, conclusionem ad propria principia, rem quamuis ad proprias causas reuocare est, non dissoluere; nam quid monstri esset sic loqui dissoluere vnum modum in alium, cum nullus modus syllogisticus in alio sit, nec quicquam dissoluatur nisi in ea quę in ipso insunt, dissoluere conclusionem in propria principia, cum principia in conclusione non insint, dissoluere rem in proprias causas, cum saltem efficiens & finis extra rem sint. Ita etiam ἀναλύειν συλλογισμὸν εἰς τὰς προτάσεις καὶ τοὺς ὅρους erit reuocare syllogismum in propositiones & in terminos, verum apud Arist: hunc vsum huius verbi non obseruaui, sed in hoc genere διαλύειν, διαιρεῖν, aut alio verbo solet vti, sed de his alias. Analyticus ergo disputator solas causas propriae inter argumenta inuenta seligit, logicus verò omnia necessaria, vt etiam fortasè proprias causas, sed non quatenus causæ sunt, sed quatenus necessaria argumenta. Dialecticus autem etiam non necessaria, sed probabilia, non tamen vt semper vitet necessaria: Nemo enim

tam stupide solet disputationem suscipere, vt profiteatur se vitaturum optima queq; argumenta, quę maximè rem probent iudicibus ijs contra quos disputet, si eiusmodi animo eius occurrant. Imo Arist. 8. Topicorum cum dialecticum instruit nonnunquam præcepta dat ex necessarijs disputandi, nonnunquam etiam vt ex necessarijs disputet ab eo exigit. Quin dialecticus profitetur se rem probaturum auditoribus, quod maximè pręstat si argumentum necessarium, vel etiam propriam rei causam adduxerit, etiam si alijs leuioribus id quod superest præstare poterit. Quare etiam disputator Logicus qui rem se docturum necessarijs rationibus suscepit causas proprias rei non vitabit, etiamsi non sola eiusmodi argumenta adducet. Probare eum dico quisquis assensum vel dissensum in animo auditoris gignit, siue ita necessariò esse existimet, siue etiam non nihil dubitet is adhuc, qui accedit & rem discit, idest siue scientiam rei, siue opinionem tantum aut fidem de re acceperit. Sunt nihilominus & alij, qui non tantum pollicentur de se vt fidem suis argumentis efficiant & rem probent, sed vt ita doceant vt in suspitionem res veniat (non tamen quicquis suspicatur rem veram esse iudicat) sic Simo Terentianus corruptum filium Pamphilum à socijs suspicatur, non tamen id verum esse existimat & credit, sic Terentianus Mitio quod non rediret à cena Eschinus multa suspicatus est, quæ male ei contingere potuerunt; non tamen ei multa mala contigisse credidit, satis enim erat vt à cena non rediret, si vnum quippiam male accidisset, vt scilicet aliquid perfregerit, at non illud quidem Mitio credidit verum benè illum se habere opinatus est. Solemus enim omnes in rebus incertis, ita vt rem se habere optamus, opinari, licet signis quibusdam fortasse leuissimis contra suspicemur, vt vxor si absis aut te amare aut te te amari, aut potare suspicatur (vsus est Terentius verbo cogitandi, pro verbo suspicandi) aut tibi soli bene esse cum sibi sit malè. Sic signis enthymematis, abductionibus, inductionibus, singularibus exemplis, & leuioribus argumentis solemus homines faciles in opinionem, constantiores verò tantum in suspitionem inducere. Sic zelotypus omnia de vxore opinatur signis leuibus persuasus, mediocris uerò maritus bene existimat de Vxore, contra tamen non nihil suspicatus rei veritatem inquirit; at qui vxoris probitatem habet sibi persuasam, non nisi grauissimis signis monetur, imo nonnunquam eam, talia cum audierit, maiore amore prosequitur, quod indigne & immerito ex talibus signis eam male audire existimet. Est autem huiusmodi iudicij genus vix iudicij nomine dignum, tam est infirmum, nec ferè in disciplinis vsurpatum, nisi fortè rarissime in causis rerum, aut id genus alijs inueniendis. Est tamen vsibus humanę vitæ apprimè necessarium, vt nobis & caueamus & prouideamus. Sic Hannibal suspicatus est auctum Romanum exercitũ cum equites sole exustos & macros equos ad flumen accedere vidit, ac sibi prouidit. Sic vxorem ducturus si palleat sibi cauet, ne quæ casta non sit, vel quod prægnans non sit, vel quod alicuius amore torqueatur, domum ducat, quamuis morbo fortassis id ei contigerit. Vtitur autem hoc enthymemate: Omnis grauida pallet, hæc autem pallet, fortè ergo grauida est, quæ argumentatio ad syllogismum reuocari non potest, vt necessario concludat, ve-

rum

sum facile dissolui potest, nam & ex morbo pallere potest, quo cognito suspicio tollitur. Sic suspicamur sapientes esse bonos ex hoc enthymemate in tertia figura. Pittacus bonus est & Pittacus est sapiens, ergo sapientes boni sunt, non enim necessario sequitur quod conclusum est, non enim si Pittacus talis est etiam alios sapientes tales esse oportet, ergo vero syllogismo & perfecto tantum coucludere licebat quidam sapiens est bonus, sed vulgus hominum ex imperfectè concludente illo sic suspicari solet. Sic versatus cum Viro in septentrionali regione nato, si eum proditorem inueniat, suspicatur & alios in septentrionalibus regionibus natos proditores esse solere. Et si cum viro meridionali in regione nato eum stupidum comperiat suspicatur eas regiones, quæ ad meridiem sunt stupidos viros solere producere, cum tamen natura contra fiat in vtrisq; regionibus. Licuit syllogismis solum con clu dere quendam ad septentrionem esse proditorem, & quendam natum ad meridiem esse stupidum, at illa concludere non licuit syllogismo omni ratione perfectè concludenti. In prima figura dicit Arist. argumentationem esse indissolubilem si vera sit, hoc est si vera sunt, quæ sumuntur: Vt omnes ambitiosi sunt liberales, Pittacus est ambitiosus, ergo liberalis, qui certè perfectus est syllogismus & non enthymema. At fortè voluit Arist. tum enthymema argumentationem appellari debere cum non perfectè explicatus esset syllogismus sed vel aliqua sumptionum deesset, uel certè sumptiones ad idem concludendum nō necessario valerent. In prima tamen figura huiusmodi argumentationem, non à uulgo modo, sed etiam à sapientibus Viris., & à prudentibus multo magis usurpatam uideo: Pleriq; adolescentium animum ad aliquod studium adiungunt, sed Pamphilus est adolescens, ergo Pamphilus animum ad aliquod studium adiunget: Pleræq; socrus oderunt nurus, sed Sostrata est Socres, ergo Sostrata odit nurum, cum tamen hoc in plerisq; non in omnibus inueniatur. Est ergo etiam in prima figura syllogismo non undiquaq; perfecto & absoluto locus (quod enthymema appellamus) qui sit planè dissolubilis, nam non si pleriq; adolescentes etiam Pamphilus, nec si pleræq; Socrus etiam Sostrata. Siquis contendat enrhymema constare tantum una sumptione antecedente non repugno admodum, tantum hoc assero non uulgum modo, sed etiam prudentes uiros uti solere saltem in animo argumeutationibus eius generis cuius exposuimus, ut suis prouideant rebus, quæ rationē habent syllogismorum, quamuis quod simul extremos ἀύγους idest rationes uel terminos colligant in conclusione, sed quod non necessariò, ideo à syllogismis ueris & perfectis deficiunt. Nam cum una tantū proposito adhibemus tum σημεῖον, idest signum Arist. appellat, cum uerò duę syllogismum. At superiora exempla in quibus adhibemus binas propositiones, syllogismi non erant usquequaq, perfecti & ueri, ergo imperfecti, & cum ex signis essent, uniuersa enthymematis definitio eis conueniebat, sed de enthymemate, & signis, & uerisimilibus satis. Abductionibus suspitionem ac non opinionem gigni plerunq; ex hoc perspici potest, quod assumptio ęque incognita atq; conclusio est, aut certè non multo magis cognita. Exempla certum est

suspitionem ferè inducere, quod non si hic etiam ille uideatur sequi, quare ne iudicio quidem necessaria videatur argumentatio ad aliquid probandum, nisi & id ex more scholæ accipiatur, & sit de alijs eius generis, quod tamen æque difficile probatu videtur ac ipsum consequens, sed de his satis, de quibus in secundo priorum. Dubitatio etiam ad iudicandi rationem pertinere videtur, sed nihil aliud esse videatur quam suspicio in vtranq; partem, multomagis cum leui suspitione. Suspensio assensionis vel dissensionis, qua quis Academicorum more sustinet assensionem, priuatio est iudicij. Paucis ergo concludendum videtur, rationes analyticæ, logicæ, & dialecticæ esse partes artis iudicandi & eligendi modi apti ad hoc vel illo modo iudicandi. Nam electio inuentorum videtur quodammodo vniuscuiusq; partis Logicæ sua, nam ex alio genere eligimus ad concludendum aliquid vniuersi generis affirmatiuè, aliud ad concludendum cum negatione vniuersi generis, &c. Item ex alio genere ad concludendum id quod in suspitionem ducitur, ex alio ad id quod probandum est vel verisimiliter, vel necessariò, &c. Item alia ratione quod ad definiendum valeat, alia ratione quod ad diuidendum &c. Singulæ ergo partes suam electionem habent, licet etiã quodammodo generalia quædam eligendi præcepta, quæ omnibus vel saltem multis partibus sint communia, possimus adhibere.

Superest solum in quo versetur secundus posteriorũ exponere: dico ergo cum in iudicio eorum, quæ non ex alijs enunciatis magis perspicuis notis solent doceri, cuiusmodi sunt principia prima, non solum necessaria, sed etiam verisimilia. At horum iudiciũ & cognitionem λογισμὸν (quam latine fortè cognitionem licebit appellare) vocat Aristot., illorum vero intelligentiam.

FINIS.

DE

DE ENTYMEMATE Disputatio.

Balthesaris Capræ.

DE Enthymemate nonnulla ad finem superioris disputationis diximus, quæ consideranda sunt, vt quid hoc nomine Arist. intelligat facilius percipiamus. Nam enthymema sua significatione omnem sententiam, & omnia omnino concepta complectitur, vt docent Cicero in Topicis, & Quintilianus lib. 5. cap. 10. lib. 8. cap. 5. Alias verò significat sententiam cum ratione, vt docet Quintilianus ibidem, & Aristot. lib 2. cap. 21. ad Theod: ait sententiam Lib 2.
esse partem enthymematis, verum sententiam definit 22. cap. enuntia- cap. 27.
tionem de vniuersali, de quibus cùm operationes sunt, quæ ad agen- cap. 28.
dum eligendæ vel fugiendæ sunt. Nam sententia non tam latè patet quam enthymema, plerunq; intelligas. Alias autem significat conclusum ex repugnantibus & conuenientibus, vt docet ibidem Quintilianus, & cap. 14. Alias propter excellentiam solum id quod est ex contrarijs, vt docent Quintilianus ibidem cap. 10. & 14. Aristot. ad Alexandrum 12. & 15., Cicero in topicis, qui & syllogismum coniun-

ctum

ctum ex altera parte negante enthymema hac ratione vocat Quintilianus lib 8. cap. 5. lib. 9. cap. 2. Alias dicitur oratorius syllogismus, vt habet Quintilianus lib. 1. cap. 14. Arist. lib. 1. cap. 2. ad Theod. & multis alijs in locis: at quibus rebus differat à vero syllogismo non est facile dicere, nam Arist. multis in locis videtur enthymema distinguere à dialectico syllogismo materia subiecta, vt qui lib. 1. cap. 3. ad Theod. dicit enthymema esse syllogismũ constitutũ ex ijs, quæ τεκμήρια, & quæ eicote, & quæ signa dicuntur, quæ propositiones Rhetoricas esse ait. Ex ijsdem etiam definit enthymema cap. 27. lib. 2. Priorum analyticorum, & lib. 1. cap. 2. ad Theod. cap. verò 25. lib. 2. ad Theod. addit tribus superioribus παράδειγμα, idest exemplum ex quo etiam sumatur enthymema, de quibus quatuor post dicemus cap. verò 22. lib. 2. ad Theod., & cap. 2. lib. 1. docet non esse loge sumenda ea ex quibus enthymema, vel oratorius syllogismus concludat. Eodem etiam cap. 2. dicit rhetoricam ratiocinari modo ex his, quæ in consultatione venire solent, & de his, quæ vt plurimum solent aliter se habere. At ista non possunt separare enthymema à vero syllogismo, nam verus syllogismus in omni materia versari potest, ita vt Aristot. in arte syllogismorum elementis A, B, C, &c. indefinitę significationis vbiq; vsus sit. Quare hac ratione nunquam vt genus argumentationis aliud enthymema induxisset Arist., præsertim in logicis. Alij imperfectione volunt separari enthymema à syllogismo, vt Arist. 27. cap. libr. 2. Priorum analyticorum, sed exponunt eam imperfectionem esse, quod non tot partibus concludatur enthymema, vt syllogismus, quam sententiam probant Quintilianus lib. 5. cap. 10. & 14., & vniuersa ferè schola, sed cap. 10 Quintilianus etiam addit, quod non distinctis partibus concludatur vt syllogismus. Idemq; videtur Arist. dicere cap. 22. lib. 2. ad Theod. quod enthymema differat à Dialecticis syllogismis quod neq; longe adducta, neq; omnia sumere nos oporteat vt enthymemate concludamus, propterea quod longe petita obscurius probent, & quæ manifesta sunt dicere futilis sit loquacitatis. At ne isto quidem modo distinguitur enthymema à syllogismo, vt supra disputauimus; cum de suspitione nobis esset sermo, deinde Arist. ipse cap. 27. Priorũ analyticorum signum ex quo concludit enthymema in tribus figuris sumi dicit, at figura non terminatur ex vnica sumptione, cum medium non sumatur bis; nam eadem propositio conuenit primæ & tertiæ figuræ, eadem verò assumptio primæ & secundæ. Pręterea eodem cap. 27. exempla enthymematum dat trium partium, vt his verbis: Quoniam enim consequitur grauidis pallor, consequitur verò & huic, ostensum putant quod hæc grauida sit. Pallidum A, grauidam esse B, mulierem C; Si ergo vna capiatur sumptio signum fit tantum, si autem etiã alia assumatur, syllogismus. At ne putetur hoc dictum tantum de perfectis syllogismis sequuntur hæc verba: veluti quod Pittacus sit liberalis, honores enim cupidi liberales sunt, Pittacus autem honoris cupidus, aut iterum quod sapientes sunt boni, Pittacus enim sapiens, verum & bonus. Sic fiunt syllogismi, at ostendit hunc postremum, & illum primum non esse perfectos & necessarios syllogismos, nam consequitur

Lib. 1. cap. 6. cap. 11.

Lib. 1. cap. 6. Lib. 2. cap. 31. Lib. 2. cap. 28. Lib. 1. cap. 6. Cap. 6.

Lib. 2. cap. 28.

Lib. 2.

sequitur: verum qui est per primam figuram indissolubilis est si verus est (idest si veræ sumantur sumptiones) est enim vniuersi generis, qui verò per tertiam est solubilis, &c. non enim si Pittacus est Probus, necesse est propter hoc etiam alios sapientes esse probos, qui verò est per secundam figuram semper & omnino est solubilis, nunquam enim sic se habentibus terminis fit syllogismus (scilicet necessarius vel perfectus) non enim si quę grauida est pallet; necesse est hanc esse grauidam. Nota hic Arist. syllogismos alios indissolubiles dicere (scilicet quos definiuit in principio priorum analyticorum) alios dissolubiles, siue solubiles, quos sępè negat esse syllogismos, quod verorum syllogismorum tantum spetiem pręse ferant, colligentes in consequentibus suis extrema. Neq; enim possunt ἄλυτος, & λυσιμὸς, idest indissolubilis & dissolubilis cum sint masculini generis referri ad ἐνθύμημα, vel σημεῖον, idest enthymema vel signum, quæ neutrius generis sunt. Item lib. 1. cap. 2. ad Theod: dat hoc exemplum: Sapientes iusti, Socrates enim & sapiens erat & iustus. Sed mox sequitur hoc igitur signum est sed dissolubile tamen, quamuis verum sit, quod dictum est ἀσυλλόγιστον γὰρ, idest nam non necessaria ratione concluditur. Vides vt cum verus sit syllogismus Socrates est sapiens, & Socrates est iustus, ergo quidam sapiens est iustus (nam si nullus sapiens esse iustus ponatur, quod contradicit consequenti, cum Socratem esse sapientem positum sit, sequetur ergo Socrates non est iustus, cum tamen positum erat Socratem esse iustum) cum hic inquam sit verus syllogismus & indissolubilis, tamen si hoc modo argumenteris: Socrates erat sapiens, & Socrates erat iustus, ergo sapientes iusti erant, vides fieri dissolubile enthymema, quod non si Socrates iustus etiam alij sapientes iusti, quamuis ita suspicari soleamus talibus ex signis. Quid quod Arist. solum ea non sumere, aut dicere iubet, quæ manifesta sunt, idq; lib. 2. cap. 22. vt supra diximus, & hoc 27. cap. lib. 2. Priorum analyticorum, & alibi. Quare si neutram sumptionem esse manifestam contingat vtraq; sumenda est, etiam in enthymemate. Quid quod lib. 1. cap. 2. ad Theod: dicit enthymema sæpenumero ex paucioribus esse quam sit syllogismus. Nota quod dicit sæpenumero, & non dicit omnino aut semper ex paucioribus esse, verba etiam sunt de enthymemate loquentis: Et ex paucis & sæpenumero paucioribus, quam ex quibus primus syllogismus, si enim aliquid horum sit notum non debet dici, ipse enim hoc addit auditor. Vides vt non sit necesse enthymema pauciores partes habere? Quid deniq; quod videatur facere duo signa, & per signum enthymema hoc modo loquens lib. 2. cap. 25. ad Theod: soluuntur verò signa & ex signis enthymemata &c. Item τεκμήρια (quæ sunt certæ notæ) & ex tecmiris enthymemata hoc modo: tecmiria & ex tecmirijs enthymemata ex eo quod non necessaria ratione concludunt dissolui non possunt &c. An quod velit distinctius rem tractari, vt signum vel tecmirium tunc dicatur cum vnica sumptio adhibetur, enthymema verò ex signo vel tecmirio cum assumitur etiam altera. Nam & in analyticis tale aliquid docet, vt supra ostendimus. Iam verò lib. 1. cap. 2. ad Theod: definit & syllogismum & enthymema per hoc

Lib.2.c.28

Lib.1.c.6.

Lib.2.c.31

Lib.1.c.6.

hoc quod in vtraq; quibusdam positis aliud eueniat his verbis: alterum vero in quo quibusdam positis (vel existentibus) aliud quidem præter hęc euenit, eo quod hæc sunt, aut semper, aut vt frequenter, illic quidem syllogismus, hic verò enthymema vocatur. Concludamus ergo enthymema constare ex propositione, assumptione, & conclusione, licet non rarò reticeamus alteram sumptionum, si ea sit adeò manifesta, vt auditor eam facilè addat, nec interesse multum putamus vt syllogismus dicatur an tota argumentatio oratione nostra exponatur, si modo animo tota intelligatur, quod fit cum auditor alteram sumptionem addit, quod si eam addere non nouit non erit ei syllogismus, sed signum vt supra ex Arist. diximus. Nec etiam quod non distinctis partibus concludat enthymema à syllogismo differt, quod definitio syllogismi non partium distinctionem, sed consequentiæ necessitatem requirit, vt perspicuum est. Deinde exempla enthymematum distinctissimis partibus concludentium non solum ab Aristot. multa dantur, sed etiam ab ipso Quintiliano huius differentiæ authore multa. Qua igitur re differt enthymema à syllogismo? an eo quod supra ex Arist. diximus quod quibusdam positis aliud efficiatur, propterea quod ea sunt alias necessariò & semper, alias vt frequenter, atq; cum semper & necessariò illud efficiatur tum appelletur syllogismus, cum verò vt frequenter illud eueniat seu contingat dicatur enthymema? Eaq; sit imperfectio, qua enthymema definitur esse imperfectus syllogismus, quod non necessariò concludat vt perfectus syllogismus? Certè cum ex quatuor sumptionũ

Lib.2.c.31 generibus cõcludere dicatur enthymema lib.2.c.25 ad Theod:, qua uor vero hæc esse εἰκός, παράδειγμα, σημεῖον, τεκμήριον. id quod ex eicote concludit non necessario colligit. Nam eicos defini-

Lib.1.c.6. tur ab Arist. 27. cap. lib. 2. Priorũ analyticorum, & 2 c. lib. 1. ad Theod: Propositio probabilis, & quod frequenter fit, aut non fit, aut est, aut nõ est, ita tamen vt se habeat ad id ad quod comparatum dicitur eicos, quẽadmodum vniuersum ad id quod in parte est, vt odisse eos, qui inuidẽt, diligere eos, qui amant, matres diligere filios, nam non in omnibus vera sunt hæc, sed in plerisq; tantum. Itaq; non omnes sed pleriq; oderunt eos, qui inuident, pleriq; diligunt eos, qui amant, pleræq; matres diligunt liberos, quæ se habent ad hunc vel illum odisse, hunc vel illum deligere &c. quemadmodum vniuersum seu totum ad id quod in parte. Sumamus ergo propositiones vt veræ sunt, & cõcludamus hoc scilicet modo: Pleræq; matres diligunt liberos, hæc verò est mater, ergo hæc diligit liberos. Certè consecutio necessaria non est, nam si Medeam esse matrem sumptam fuerit, antecedens verũ & consequens falsum erit, similiter. Pleræq; Socrus oderunt nurus, Sostrata est socres, ergo Sostrata odit nurum. Id etiam enthymema, quod ex paradigmate, seu exemplo concludit, non necessariò colligit, imo vt videtur minus necessariò, quam id quod ex eicote. Nam videtur quasi eicos quoddam infirmium, quod hic nomine exempli significat Aristot. Itaq; alibi quam in hoc capite sub eicote intelligitur, quod tale est, vt in hoc capite declaratur. Primum vnũ aut plura singularia sumimus, vt aliquid commune colligamus inductione quadam imperfectiore hoc modo: Phalaris petens custodes cogitauit de tyrranide occupanda, & simi-

similiter Pisistratus, item Theagones, ergo petentes custodes cogitant de tyrranide occupanda. Iam hoc accepto concludamus ex enthymemate hoc modo: Petentes custodes cogitant de tyrranide occupanda, sed Dionisius petit custodes, ergo Dionisius cogitat de tyrranide occupanda, quod planè non necessariò concludit, nam propositio non est vniuersaliter intelligenda, quoniam ex paucis singularibus est collecta, sed videtur effecta in animo auditoris, vt infirmum quoddam eicos. Vocat autem hoc enthymema ex exemplo, quod propositio eius effecta sit ex ijs, quæ exempla sunt eius conclusionis, vt patet in superiore tractatione. Id etiam enthymema quod ex signis concludit, non necessariò concludit, nam in eodem capite ait: Quod enim non est necessaria ratio omne signum perspicuum est nobis ex analyticis. Sed quo modo hoc dicatur in analyticis post ostendemus, nam potest contradictum esse videri. Iam exemplis doceamus ex signis non necessariò concludere enthymema, nam vel fit in secunda figura: vt omnis grauida pallet, & hæc pallet, ergo grauida est: Omnis febricitans frequenter spiritum ducit, & hic frequenter spiritum ducit, ergo febricitat, & hoc signum dicitur sumptum vt totum ad partem cap. 2. lib. 1. ad Theod:, quod pallere de pluribus dicitur, quam de grauidis, & spiritum frequēter ducere de pluribus quam de febricitantibus. Vel fit in tertia figura hoc modo: Socrates est sapiens, & Socrates est iustus, ergo sapientes sunt iusti. Quod non necessariò concludit, quod non, si Socrates iustus est, etiam alij sapientes erunt. Sed de his vide cap. 27. lib. 2. Priorum analyticorum, & cap. 2. lib. 1. ad Theod. vbi etiam hoc signum dicitur vt pars ad totum. At superiorem sententiam quis refutare contendet, quod vbiq; Arist: tecmiria & ex tecmirijs enthymemata indissolubilia esse dicat, & quod multis in locis dicat aliqua enthymemata licet pauca ex necessarijs concludere. Necessaria autem definiat 2. cap. 1. lib. ad Theod: ea ex quibus fit syllogismus scilicet perfectus, vel necessariò concludens, & quod c. 25. lib. 2. ad Theod: dicat tecmiria & ex tecmirijs enthymemata ex eo quod assyllogistica sunt, siue quod nō necessaria ratione concludant non posse dissolui. An in hoc genere tum demum enthymema appellabimus, cum vnica propositio sumitur, vt vel hoc modo imperfectus dicatur syllogismus, cum in alijs imperfectio accidat ex infirmitate concludendi non autem ex paucitate sumptionum? Anne hoc quidem dici potest, quod non alia differre possunt tecmiria & ex tecmirijs enthymemata, quæ vt duo diuersa ab eodem sumuntur, vt videre licet ex verbis superioribus, quam quod altera singulas, altera binas habeant sumptiones? An verò dicendum est Arist: sumpsisse definitionem enthymematis ab Antiquioribus scilicet quod sit syllogismus imperfectus ex eicotibus & signis, quam non reprehendendam existimabat, deinde cum Rhetorum scholæ inter signa etiam tecmiria numerarent non existimasse in Rhetoricis id ab eis euellendum esse, tametsi sentiret tecmiria à signis seiungenda esse, idq; non obscurè præseferat tam multis alijs in locis, tecmiria quasi speciē aliam contrariam & diuersam à signis numerans, tum hoc eodem capite cum dicit: omne signum esse dissolubile, & paulo post tecmiria non posse dissolui quod sint assyllogistica. Nam in Rhetoricis, vbi de vi

& de necessitate consecutionis non disputatur, parum erat tale aliquid auribus Rhetorum dare. At in Analyticis cap. 27. lib. 2. Priorum cum eandem signorum diuisionem primò exponat ad finē capitis quid sequi ei placeat, suo more, iudicat. Solet enim multa, quæ non maximi momenti iudicantur primum ex aliorum sententia declarare, quasi ea ipsa probaret, deinde modeste eadem corrigere. Sunt ergo verba eius: An ea quidem quæ ab extremis sumuntur dicenda sunt signum ea verò quæ à medio tecmirion. Appellat autem sumptum ab extremis, quod est vel supra extrema, vel infra eadem, vt in secunda vel tertia figura, a medio autem, quod est inter extrema. Est ergo enthymema syllogismus imperfectus ex eicotibus vel signis, verum in signis non sunt intelligenda tecmiria; nam & id quod dicit dicto 25. cap. omne signum esse dissolubile esse notum ex analyticis, indicat eum in analyticis voluisse tecmiria non esse intelligenda in signis, cum enthymema ex signis esse definiret ex eicotibus solum. Quare à syllogismo differt quod non necessariò concludit.

FINIS.

PATAVII,
Ex Typographia Laurentii
Pasquati.

Anno Domini. M.DC.VI

Habita Maiorum Licentia.